4.1.164

Digitized by Google

DE DEA LIBERTATE

EJUSQUE CULTU APUD ROMANOS

E T


DE LIBERTINORUM PILEO

DISSERTATIO

RODULPHINI VENUTI

CORTONENSIS

Reg. Acad. Londin. Socii, & Roman. Antiquit. Præſidis,



ROMAE, MDCCLXII.

TYPIS BERNABÒ ET LAZZARINI

APUD FAUSTUM AMIDEUM

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

NON . BENE . PRO . TOTO . LIBERTAS . VENDITVR . AVRO

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

QUÆ de Libertate, ejuſque cultu, & Libertorum Pileo a nonnullis Scriptoribus varie ſcripta ſunt congerere, infiniti, & ni fallor, legentibus haud multum pergrati laboris foret; præſertim cùm ea jam omnia alii ex recentioribus maxime doctis ſtudioſe, diligenterque collegerint, ad quos ſæpe Lectores remittere mihi opus ſit. Ego enim ſatis habebo eos indicare, &

Digitized by Google

ea tantum quæ magis ad rem noſtram facere exiſtimabo curſim attingere. Igitur quæ alia oblata occaſione Reineſius expreſſit, dicam & ego ſincerius. Plura de talibus ſcire non datur, propter antiquitatis etiam inſcitiam, cujus mores & ritus penitus hodie non agnoſcimus, pleraque ne quidem intelligere poſſumus. Immo ſæpe ſæpius in maximam adducor admirationem, cùm animoſos quoſdam homines de rebus hiſce ſimillimis, ac de omnigena penitiori antiquitate adeo fidenter, ne dicam temere, judicium ſuum interponere, & audio, & lego; recte enim novimus, cùm de priſca ætate, & illi proxima ſermo ſit, antiquorum etiam Scriptorum fidem nutare & auctoritatem. Cæterum quantum licuit, curavi, ut omnia quæ ad argumentum pertinent elucidare atque explicare ſatagam, quod ſi aſſecutus fuero, ſatis mihi erit.

Verùm cùm aliud omnino animo agi-
ta-

Digitized by Google

tarem, nec quidquam minus mente verſa-rer, Amici & docti viri fortuito impulſu ad Servorum nationem oculos convertere, & cogitationes opus mihi fuit. Is a me de Servorum Pileo Diſſertationem flagitavit; non ut exinde aliquid ipſe notitiæ caperet; plurimum enim in hiſce rebus verſatus eſt; ſed ut a me produceretur id quod de hac re ſentiam. Ut autem ipſius ſtatim petitioni morem gererem, non una erat cauſa. Amico enim flagitanti inurbanum recuſare, & negare viſum eſt; nec inconveniens, ut eodem tempore, quod lucem afferre poſſet rebus antiquis, viro tali petente identidem facerem. Sed cùm manus in adverſaria mea injeciſſem, ut quæ propoſito apta eſſent, & convenirent excerperem, & in opus jam conceptum dedolarem; animadverti me operam ludere, cùm Pignorius, & alii, ac ferme omnes Legum Romanarum Interpretes, aliique recentiores affàtim de Servis diſſeruerint.

Jam

Jam ſingulæ ſervorum ſpecies in plura, ut ita dicam, individua ſubdividuntur, quod facile ex manumiſſionum documentis deprehendemus. Nec enim omnes formulæ, ritus, & mores in ſingulis manumiſſionum generibus ſervati ſunt, & ab auctoribus diſtincti, quod nos in noſtro opere faciendum duximus. Vale.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

QUID ſit Libertas. Pag. 1.

CAPUT II.

De Dea Libertate, ejuſque effigie in Nummis. 5.

CAPUT III.

De Templo, & Porticu Libertatis. 8.

CAPUT IV.

De Jure Perſonarum. 14.

CAPUT V.

De Ingenuis, & Libertinis. 16.

CAPUT VI.

De Manumiſſionis Formulis. 20.

CAPUT VII.

De genuina Pilei nominis explicatione. 29.

CAPUT VIII.

De propria Pilei nominis definitione. 32.

CAPUT IX.

De vera Pilei materia. 37.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.
De uſitata Pilei forma. Pag. 43.

CAPUT XI.
De tempore geſtandi Pileum. 47.

CAPUT XII.
De Pileo Libertinorum ſequioris ævi. 60.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſſimo Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Dominicus Archiep. Nicomediæ Viceſg.

IMPRIMATUR,
Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid ſit Libertas.

SERVI, natura quidem, id eſt, citra factum humanum, aut primævo naturæ ſtatu hominum nulli ſunt; quo ſenſu recte accipi poteſt, quod a Jureconſultis dictum eſt [1], contra naturam eſſe ſervitutem, eamque contrariam eſſe illi bono, quod contigit homini beneficio naturæ, & per naturam, ideſt Libertati: quamvis id ei natura dederit, ut ob juſtas cauſas quibuſdam eripi non vetet, ut ſit bonum ſeparabile, quod peccato, aut fortuna poſſit amitti. Cùm liberi homines in commercio non ſint,

1 *Grot. de Jur. Bell. ac Pac. lib.3. cap.7. §.1.*

alia eſt poteſtas Dominica, alia Regia; alia eſt Libertas perſonalis, alia civilis; alia ſingulorum, alia univerſorum. Nam, & Stoici quandam ſervitutem conſtare dicebant in ſubjectione; & in ſacris Litteris ſubjecti Regis *Servi* vocantur [1]. Sed Libertas cum natura competere hominibus, aut populis dicitur; id enim intelligendum eſt de jure naturæ, præcedente factum omne humanum, & de Libertate κατὰ στέρησιν, non de ea, quæ κατ' ἐναντίωμα, hoc eſt, ut natura quis ſervus non ſit, non ut jus habeat ne umquam ſerviat; nam hoc ſenſu nemo liber eſt. Cæterum omnibus patet ſemper licere ſubditis per vim coactis, ſi poſſint, in libertatem (eam ſcilicet quæ populi eſt) ſe vindicare, quia quod vi partum eſt imperium, vi poteſt diſſolvi: immo aliqui putant, quod quamvis voluntate ſit profectum, in eo pœnitere liceat, atque voluntatem mutare.

Quemadmodum ex generalibus jam præmiſſis nihil eſt in naturali jure ſervitute durius, nihil miſerabilius, inde tantus erat Libertatis favor, præcipue apud Romanos, ut illa ne quidem crederetur exiſtere poſſe in commercio; neque adeo liceret ingenuis ſe ipſos addicere in ſervitutem; multò minus rata habebatur vendi-

1 *Lib. 1. Reg.*

ditio, ſi quis extraneus hominem liberum vendidiſſet; quod licebat Hebræis, ut docet Seldenus [1], & Germanis teſte Tacito [2].

Liberi homines ingenui dicebantur a Romanis [3], qui nunquam juſtam ſervierant ſervitutem; captos tantummodo bello hoſtes redigebant in ſervitutem. Quemadmodum enim qui, poſitis armis, ultro ſeſe dedebant, ſub jugum mittebantur, ſalva tamen retinebant ingenuitatis jura, quem ritum accuratiſſime, ut ſolet, deſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis [4]; Sic capti in acie, urbium expugnatione, aut quovis alio bellico modo ſub corona venibant. Primi *dedititii*, hi *ſervi* vocabantur [5], quod eſſent in bello ſervati: itemque *mancipia*, quaſi manu capti. Si qui vero e juſta ſervitute erant manumiſſi, eos vocabant *libertinos*: Manumiſſiones antiquitùs fiebant ſolemniter cenſu, vindicta, aliiſque formulis, de quibus, ut ad rem noſtram pertinentibus, quamvis notiſſimis, ſuo loco breviter eloquar.

Antequam huic capiti finem imponam, de Græcorum Ἐλευθερία aliqua dicam [6]. Hoc nomen

A 2 tri-

1 *De Jur. Nat. & Gent.* VI. 7.
2 *Tacit. de morib. Germ.* XXIV.
3 *Sigon. de antiqu. Jur. Civ. Rom.*
4 *Antiq. Rom.* III. *pag.*19.
5 *A. Gell. noct. Act.* VII. 7.
6 *P. Jobert Sci. des Med. cum not. Bimard.*

tribuitur a Græcis illis Civitatibus, quæ *Liberæ* vocabantur; ſed confundi non debent urbes liberæ, ſicuti feciſſe video P. Jobertum, alioſque Antiquarios, cum illis, quæ a tributis, vectigalibuſque immunes dicebantur; itidem neque cum illis, quæ propriis utebantur legibus, unde vocabantur *Autonomæ*. Liberæ enim vocabantur Civitates illæ, quæ nullam ſervitutem cum altera patiebantur Civitate, atque nullo quidem modo ſubjectæ erant Romanis Magiſtratibus in Provinciis jura gerentibus [1], ubi ipſæ erant conſtitutæ Civitates. Hoc Libertatis, ſeu potiùs immunitatis privilegium tanti faciebant populi, ut memoriam relinquerent in publicis monumentis, ac nummis; feſtaque inſtituerent cum certaminibus ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ appellatis. Ἐλευθερία nimirum certamina in pago Bœotiæ apud Plateam Urbem, qui *Eleutheræ* dictus eſt, inſtituta poſt celebrem illam victoriam, quam a Perſis Græci retulerunt. Eo ſiquidem in loco, quemadmodum narrat Strabo [2], Græcorum copiæ Mardonium Ducem cum CCC. Perſarum millibus occiſione delerunt. Tunc Eleutherio Jovi, ideſt *Liberatori*, Templum conſtruxerunt, & certamen gymnicum coronatum deſi-

1 *Maffei Veron. Illus. p.1. lib.3. p.46. 47.*
2 *Geogr. lib.IX.*

ſignavere, *Eleutheria*, ideſt *Liberatoria* ludos ipſos vocitantes; eorumque, qui in prælio obierant, ſepulcrum publicè conſtructum cernebatur. Sed Aſiaticæ illæ urbes potius de Libertate, quamvis ephimera, gloriabantur, quàm de ludis.

CAPUT II.

De Dea Libertate, ejuſque effigie in Nummis.

Libertatis Dea a Græcis culta, Ἐλευθερία ab ipſis vocabatur; de ea Plautus meminit in Sticho, & in Perſa; *Baſilicè Eleutheria agito*: Eleutheria erant feſta Græca, quæ celebrabantur in honorem Deæ Libertatis, & Jovis Eleutherii, quem & σωτῆρα, ideſt *Liberatorem*, vocabant: celebrabantur hæc in Syracuſis, Tarenti, apud Plateenſes in Caria, in quibus nec heris in ſervos, nec magiſtratui in maleficos animadvertere licebat; unde Eleutheria a libertare dicta. De porticu Eleutherii Jovis, qui Athenis fuit, meminit Plato in Theagene. Conſtat verò tres fuiſſe Athenis celeberrimas porticus, porticum Jovis Eleutherii, alteram, quæ Baſileos dicebatur, tertiam, quæ ποικίλη, id

id eſt, variè ornata; hanc porticum pinxit Polygnotus Thaſius, ut Plinius refert [1].

Sed ut ad Deam Libertatem apud Romanos cultam orationem convertam, in nummis quomodo ejus effingeretur vultus obſervandum eſt. Caput hujuſce Deæ in nummis Familiæ Juniæ [2], & Palikani habemus nudum, crine concinno, veluti in ſtatuis Veneris videmus, vultu liberali, venuſto ac decoro, quandoque velato. In nummis verò ab Imperatoribus cuſis, obſervatur Dea Libertas modo ſtans, modo ſedens in ornata ſella, palliata, tubulataque, dextera ut plurimum pileum gerit libertatis, ſiniſtra haſtam, ſeu virgulam, non ad indicandam tantùm Divinitatem, ut in cæteris Diis, ſed illam etiam virgulam, *vindictam* appellatam [3], quomodo inferius oſtendam, cum qua Prætores, ſeu lictores ſervos percutiebant, dum eis Libertas tribuebatur.

Cæterum in nummis Neronis [4] Libertatis caput obſervatur, cum epigraphe LIBERTAS. Libertas in Galbæ [5] nummis vario modo inſcribitur,

1 *H. N. lib.XXXV. c.IX.*
2 *Et Caſſiæ tab.III. n.1. 2. 3. 4.*
3 *Bimard. ſcien. des Med. t.1. p.395. Vid. Tab.1. n.1. 3. 4. 5. 6. 7. 8.*
4 *Vaill. nnm. p. 63. & in noſtra Tab.1. & III.*
5 In nummo Pertinacis legitur LIBERATIS CIVIBUS, innuendo recu-

tur, modò LIBERTAS PVBLICA, modò LIBERTAS RESTITVTA, in aliis verò LIBERTAS AVGVSTI, quaſi voluerit artifex denotare, extincta in Nerone Cæſarum Familia Libertatem Populo Romano eſſe reſtitutam, ut ait poſt Neronis mortem Tacitus [1]: *ſed Patres læti, uſurpata ſtatim Libertate*. In nummis Quintilli Cæſaris LIBERT. AVG. Mulier ſtolata cernitur dextera pileum, ſiniſtra cornucopiæ [2], innuendo ex libertate abundantiam progredi. In nummis Getæ, & Conſtantini legitur LIBERTAS PVBLICA; at in poſtica nummorum hujuſce poſtremi Imperatoris obſervatur triremis, ſupra quam victoria a fronte, utraque manu extenſa coronam lauream geſtat, a dextris in area *B*. in imo CONS. Sed in Galbæ nummis jam memoratis cernitur Imperator ſtans togatus, ad cujus pedes figura muliebris procumbit, tertia galeata adſiſtente, ſiniſtra clypeum gerente; & in altero, mulier genuflexa puerulum dextera gerens, quem Galbæ paludato ſtanti porrigit. Demum in nummis Hadriani, cum eadem epigraphe, Imperator adſtat togatus in ſubſtructio-

cuperatam Libertatem poſt Commodi necem. Claudius Gothicus ad imperium adſcitus poſuit in nummis LIBERO CONSENSU; & Conſtantinus appellatur LIBERATOR. ORBIS.

1 *Hiſt.* 1.
2 *Tab.* 1. *n.* 6.

ctione ſedens, infrà ſtat figura muliebris cum duabus icunculis.

Ut plurimum Libertas in nummis effingebatur cum pileo, & haſta, quod videre licet in nummis Nervæ, Eliogabali, Galli, Caracallæ, Claudii, Trajani, Vitellii, Caſſii, Bruti, Lentuli, in quibus vel Libertatis ſimulacrum, vel pileum libertatis obſervatur.

CAPUT III.

De Templo, & Porticu Libertatis.

LIBERTAS a Romanis Dea culta fuit, ejuſque Templum Publius Victor in Aventino conſtituit, ibidemque fecit Libertatis Atrium, de quo apud Auctores crebra fit mentio. Publius Clodius Templum Libertatis cum porticu ſtruxit eo loco, ubi fuit domus Ciceronis in Palatino Monte, quæ propè Jovis Statoris Templum conſtructa, incenſa & direpta fuit, ſed reſtituta Ciceroni [1] a Senatu, denuo ædificata, Porticus, & Templum collapſa fuere.

Cæ-

1 *Vid. Cic. pro Domo ſua. Poſt redit. in Senat. Marlian. Topogr. Urb. lib.2. Id. refert. lib.4. c.5.*

Cæterum Templum Libertatis in Aventino Monte extructum fuit multaticia pecunia cum æreis columnis, & ſtatuis a patre T. Gracchi, ejuſque etiam Porticus condita, & dedicata. Hoc atrium ab Aelio Pœto, & Cornelio Cethego reſtauratum dicitur [1], ampliatumque; Suetonius [2] in Auguſto, reſtaurationem refert factam a Senatore illo nobiliſſimo Aſinio Pollione, Auguſto invitante. Multa a multis eodem tempore extructa ædificia dicuntur, veluti a M. Philippo Aedes Herculis Muſarum, a L. Cornificio Aedes Dianæ, ab Aſinio Pollione Atrium Libertatis; ſed extructa ideo dicuntur, quia reparata. Nullus certe eorum iſtarum Aedium primus auctor fuit; hinc Aſinius Atrium, ut puto, denuo expolivit, Bibliothecamque addidit, quæ omnibus pateret, & hanc ſcriptorum iconibus adornavit. De hac Porticu loqui videtur Ovidius, dum cecinit [3]:

Hac quoque, ni fallor, populo digniſſima noſtro
Atria Libertas cœpit habere die.

Videlicet Idibus Aprilis Atrium Libertatis extructum. Iſidorus primus Bibliothecas publicavit: Pollio alteram Græcis, & Latinis codi-

1 *Vid. Plutarch. in vit.*
2 *Suet. lib.2. de ſacr. Oper.*
3 *Faſt. lib.4. v.620.*

cibus refertam, additis Auctorum imaginibus, in Atrio, quod de manubiis magnificentiſſimum extruxit, collocavit. De hac audiendus idem Ovidius [1]:

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Hinc hallucinatur Marlianus, qui de alia porticu intelligit, eo quod multo poſt tempore atrium ædificatum fuit, neque ejus opinioni aſſentiri videtur Livius [2], ubi inquit: *Hæc inter ipſos diſceptata, poſtremo eo deſcenſum eſt, ut ex quatuor Urbanis Tribubus, unam palam in atrium Libertatis ſortirentur*. Sed atrium in Aventino fuit, non alio loco, idemque quod poſtea Aſinius Pollio magnificentiſſime ornavit. Hanc Marliani ſententiam hìc memorare volui, propterea quod & Lilius Gyraldus eadem penè dicat.

Poſt bellum Pompejanum Cæſar a Senatu accepto unico Imperatoris titulo *Liberator* etiam *Patriæ* appellatus eſt, ac ideo Libertati Templum publico erectum decreto fuiſſe apud Dionem legitur [3]; ſed non liquet ubi erectum, unde dici poteſt decretum, ſed non excitatum. Eodem modo, quo occiſo Cajo, ut narrat Sueto-

1 *Triſt. lib. 3. El. 1.*
2 *Lib. 5. Dec. 5.*
3 *Lib. 43.*

tonius [1], Senatus in adſerenda Libertate adeo conſenſit, ut Conſules primò non in Curia, quia Julia vocabatur, ſed in Capitolium convocarit. Conſalutato autem Imperatore Claudio, Conſules cum Senatu, & Cohortibus Urbanis Forum, Capitoliumque occuparunt adſerturi comunem Libertatem. Claudius Imperio ſtabilito nihil antiquius duxit, quàm id biduum, quod de mutando Reipublicæ ſtatu hæſitatum fuerat, memoriæ eximere. Ideo cudit numiſmata cum Libertatis typo inter initia principatus ſub titulo, & ſpecie Libertatis ad captandum populi ſtudium. Quæ omnia conveniunt cum Galbæ ſententia de Libertate Populi Romani, quam protulit in Oratione ad Piſonem Tacitus [2]: *neque enim hic, ut in cæteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus, & certi ſervi; ſed imperaturus es hominibus, qui nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem*. Hinc novo Principi honores aliis ſancitos decernebat Senatus, quos tamen quandoque Imperator recuſabat, ut Tacitus de Vitellio ait: *In Senatu cuncta longis aliorum principatibus compoſita ſtatim decernuntur*.

Sed redeamus unde diſceſſimus: In Aventi-

1 *In Calig. & in Claud.*
2 *Hiſt. lib.1.*

tino Templum , Atriumque Libertatis Pub.Victor conſtituit . De Templo Livius [1] : *Digna res,* inquit , *ut ſimulacrum celebrati hujus diei , quo contra Hannonem Annibalis Ducem pugnavit ad Beneventum , Gracchus poſtquam Romam rediit , pingi juberet in Aede Libertatis , quam pater ejus in Aventino ex multaticia pecunia faciundum curavit , dedicavitque* . Atrium verò , ajunt , ut ſuperius diximus , ab Aelio Peto , & Cornelio Cethego Cenſoribus refectum , & ampliatum . De eo itidem Livius [2] : *Cuſtodiebantur obſides Tarentini in Atrio Libertatis minore cura.* Idem Tabularium Atrio adjunctum alibi memorat [3]: *Cenſores extemplo in Atrium Libertatis aſcenderunt , & ibi ſignatis tabulis publicis , clauſoque Tabulario , & dimiſſis ſervis publicis , negarunt ſe prius quicquam publici negotii geſturos , quàm judicium populi de ſe factum eſſet* . Et alio loco [4] : *Atrium Libertatis , & Villa Publica ab eiſdem Cenſoribus refecta , amplificataque* . Tacitus quoque hoc Atrium memorat [5] : *Præcepturo , ut Germanicos milites e Libertatis Atrio accerſirent* .

Cæterum præter hoc aliud alibi quàm in Aventino Atrium Libertatis ponit locus M.Tullii,

1 *Dec.3. lib.4.*
2 *Dec.3. lib.5.*
3 *Dec.5. lib.3.*
4 *Dec.4. lib.4.*
5 *Hiſt. lib.1.*

Digitized by Google

lii, niſi corruptus ſit [1]: *Paulus*, inquit, *in medio Foro Baſilicam jam penè texuit iiſdem antiquis columnis; illam autem, quam locavit, fecit magnificentiſſimam. Quid quæris? nihil gratius illo monimento, nihil glorioſius. Itaque Cæſaris amici (me dico, & Oppium, diſrumparis licet) in monimentum illud, quod tu tollere laudibus ſolebas, ut Forum laxaremus, & uſque ad Atrium Libertatis explicaremus, contempſimus ſexcenties ſeſtertium; cum privatis non poterat tranſigi minori pecunia*. Video magnis viris locum eſſe ſuſpectum; ſed ſive Tullius loquatur de Foro Cæſaris explicando uſque ad Atrium Libertatis, ut placet Manutio, mihique magis probatur; ſive diſpuncta voce *Forum*, ut videtur Lambino, nam & alii aliter legunt, loquatur de Pauli Baſilica pertingente ad Atrium Libertatis; indubitatum eſt, utrumque ædificium longè diſtare ab Aventino. Paulli Baſilica, ut alibi diximus [2], exſtabat in Foro Romano prope Templum Fauſtinæ; paulò remotius Forum Cæſaris, a tergo Templum Pacis fuit. Itaque hoc Libertatis Atrium non longè a clivo mittente in Exquilias prope Turrim Comitum fuiſſe crediderim.

C A-

1 *Ep. ad Attic. l.4. ep.16.*
2 *Deſcriz. di Rom. Antic.*

CAPUT IV.

De Jure Perſonarum.

OMNIBUS patet, primam apud Romanos hominum diviſionem fuiſſe in Liberos, & Servos. Illi iterum vel Ingenui erant, vel Libertini. Tametſi verò ſervitus ſit juris gentium, Romanorum tamen ſervi in pleriſque differebant a reliquarum gentium mancipiis. Juvenalis adludens ad mores Romanorum ſcribere non dubitat [1]: *O demens ita ſervus homo eſt?* ὑπερβολικῶς uti ſolet, nec tamen ſine ratione. Quamvis enim ſervi eſſent homines, quamvis ratione ſtatus naturalis etiam Perſonæ dici poſſent [2], non tamen erant perſonæ civiles, & hinc dicebantur ἀπροσώποι, & ſine capite; nihil ergo ſibi acquirebant: non matrimonia contrahebant, ſed in contubernio vivebant cum ancillis [3]: nec gaudebant jure teſtamenti factionis, & contractuum: nec ulla in perſonam ſervilem cadebat obligatio; unde ſecundum genus hominum vocantur a Floro [4].

In-

1 *Sat.* VI. *v.*221.
2 *L.*22. *pr. D. de reg. jur. Theophil. pr. Inſt. de ſtip. ſerv.*
3 *Caſſiod. var. lect.* VI. 8. *Theoph.* § 4. *Inſt. de cap. dimin.*
4 *Flor. Hiſt.* III. 20.

Ingenui erant Romanis, qui numquam juſtam ſervitutem ſervierant. Injuſtè enim in ſervitutem detruſi, impetrata libertate, non ad Libertinorum, ſed ad Ingenuorum ſtatum redibant. Idem obſervandum de filiis, quos patres in ſervitutem vendiderant, quod ter facere poterant ex inſtituto Romuli [1]; nam hi manumiſſi non libertini erant, ſed ingenui. Et ita interpretanda *L. 2. pr. Cod. Theod. de liberali cauſa*, ubi Conſtantinus Magnus negat, libertatem, ideſt ingenuitatem filiis eripi poſſe a parentibus. Ingenuos enim κατ' ἐξοχὴν dictos eſſe liberos ex *l. 4. D. de juſt. & jure* patet. Immo nec civitatis jura quidem penitus perimebantur hac venditione [2], nec iis jure poſtliminii opus erat, ſi manumitterentur [3]. Denique & illi, qui ob aes alienum addicebantur creditoribus, itemque filii familias noxæ dediti ſerviebant quidem [4], ſed manumiſſi ingenuitatis jura recuperabant [5]. Signum ingenuitatis apud pueros, & puellas erat bulla aurea collo adpenſa [6], poſtea toga prætexta.

Si qui vero e juſta ſervitute erant manumiſ-

1 *Dionyſ. Halic.* II. 28.
2 *Cic. pro Cæcin.* XCV.
3 *Id. de Orat.* I. 181. *Bynkerſoeck opuſc. p.* 149. *ſeq.*
4 *Quintil. Inſt. Orat.* VIII. 3.
5 *Cujac. Obſerv.* XIII. 9.
6 *Theodor. Miſcell. ad Perſ. ſat.* V. *v.* 35. *Ficoron. de Bull. aur.*

miſſi, eos vocabant *Libertinos*. Quamvis enim Libertini vetuſtioribus Auctoribus ſint libertorum liberi [1]: ſequiore tamen ævo, id maxime apud Jureconſultos invaluit, ut & manumiſſi dicerentur libertini [2]. Obſervatur tamen differentia, ut ratione patronorum dicantur Liberti, ratione ſtatus Libertini [3].

CAPUT V.

De Ingenuis, & Libertinis.

OMNES Cives Romani erant liberi: eaque Libertas non ſolum a Dominorum poteſtate, ſed & a Tyrannorum imperio, potentiaque magiſtratuum, libidine creditorum, civiumque potentia tutos præſtabat. Cave tamen, confundas libertatem juris gentium cum libertate juris Quiritium, quæ nulli competit, niſi Civibus Romanis; quod Cicero [4] clariſſime oſtendit, dum ait: *Quì enim poteſt jure Quiritium liber eſſe is, qui in numero Quiritium non eſt*? Hinc Tribus omnes cùm commotionem facerent, libertatem dicebantur amittere, etiamſi haud

1 *Suet. in Claud.* XIV.
2 *Caſaub. ad Suet. Aug.* XXV.
3 *Oiſel. ad Caii Inſt. l.* 1. *p.* 7.
4 *Cic. pro Cæcin.* 33.

Digitized by Google

haud fierent ſervi [1]. Immo hinc intelligenda L.5. §.3. D. *de extra. cognit.* ubi media capitis diminutione, & ſpeciatim aquæ, ac ignis interdictione, etiam libertas amitti dicitur; quod de libertate juris gentium falſum, de libertate juris Quiritium veriſſimum eſt [2].

Nullus ergo Civis Romanus ſervus fieri poterat, nec ingenuitatem, aut libertatem amittere, niſi aut captivitate, aut doloſa venditione, aut aliis modis ſupra memoratis. Hoc enim juris erat a majoribus proditum, ut nullus Civis Romanus, aut Libertatem, aut Civitatem poſſet amittere, niſi ipſe auctor factus eſſet [3].

Nec minus immunes erant Cives Romani ab impotenti Regum dominatione; Lege enim Tribunicia lata a Junio Bruto, Tribuno Cælerum, ac paullo poſt primo Conſule, fuerat cautum, ut nemo Romæ regnaret, obſtrictis juramento Civibus, eos neminem paſſuros Romæ regnare. Qua lege tribunicia, quum omni tyrannidi via occluſa eſſet, mirum profecto non eſt, Gentem Juniam præcipue de ea eſſe gloriatam, nummiſque ſuis caput Libertatis

C præ-

1 *Liv. Hiſt.* XLV. 15.
2 *Noodt obſer.* II. 21. *p.*469.
3 *Cic. pro Domo ſua* XXIX.

prætuliſſe, cum inſcriptione LIBERTAS[1]. Acceſſit poſtea eodem anno lex Valeria, qua cautum, ut indictâ cauſsâ interficeretur, qui Regni occupandi iniiſſet conſilia, atque impune ferret percuſſor[2], ſi indicia ſceleris demonſtraſſet. Propter has leges dici non poteſt, quanta certamina per D. annos adierit Populus Romanus; quamvis impedire haud potuerit, quominus læſæ demum a L. Sulla, deinde a Julio Cæſare convellerentur, ab Auguſto verò, ejuſque ſucceſſoribus penitus extinguerentur; ſiquidem hi, adſpernati in ſpecie Regium nomen, titulo Principum omnia Magiſtratuum, legumque munia ad ſe traxerunt[3].

Anno V. C. DCC. LXXI. M. Junio Sillano, & L. Julio Norbano Balbo Coſs. lata eſt lex Junia Norbana, qua cautum, ut manumiſſi per Epiſtolam, aut inter amicos, aliiſque modis minus ſolemnibus, non civium, ſed Latinorum tantùm jura conſequerentur. Nonnumquam tamen & ab Imperatoribus Latini Juniani jura Quiritium impetrabant; & introducti ſubinde alii modi, quibus Jura Quiritium conſequerentur Latini Juniani.

Ex eo ergo tempore trium generum erant Li-

1 *Vid. Tab.*11. *n.*2.
2 *Plutarch. Vit. Public. p.*103. *Liv.*11. 8.
3 *Tacit. Annal.* 1. 1.

Libertini : Alii enim fiebant Cives Romani; alii ſola conſequebantur jura Latinorum, ideo dicti Latini Juniani; alii denique utriuſque juris expertes ad Deditiorum tantùm conditionem adſpirabant. Latini Juniani ejuſdem erant conditionis cum Latinis in Colonias deductis; quæ Coloniæ paſſim in Orbe Romano extabant etiam ævo Imperatorum [1]. Libertate igitur gaudebant, participes erant commerciorum, & mancipationum cum Civibus, & familiæ emptores, & teſtes, & libripendes fieri, quin & fideicommiſſum capere poterant, Sed tamen nec teſtari iis licebat, nec ex teſtamento quidquam capere, niſi intra centum dies jura Quiritium conſequerentur [2]. Hinc vulgò dicitur, vixiſſe Latinos Junianos ut liberos, deceſſiſſe ut ſervos. Dedititii verò vix umbram libertatis conſequebantur; Nam & juris commerciorum, mancipationumque erant expertes, & teſtamenti factione, tum activa, tum paſſiva plane carebant; & quæ miſerrima erat eorum conditio, nulla ipſis ſpes ſupererat ullo modo ad Civium Romanorum, immo nec Latinorum, conditionem adſpirandi, adeoque ejuſdem erant conditionis cum populis dedititiis [3]. Ita verò vo-

C 2 ca-

1 *Spanhem. Orb. Rom. Exerc.* I. 9.
2 *Ulpian.* XVII. I.
3 *Suet. in Aug.* XL.

cabantur populi, qui ſe, divinaque & humana omnia dedebant, mittebanturque ſub jugum. Qua formulâ deinde facta fuerit deditio, ex Livio oſtendit Briſſonius [1]: Effectus verò erat, ut populi ejuſmodi ingenuitatis quidem jura retinerent, at nullo modo ad civitatis commoda adſpirarent [2]. Hæc differentia Libertinorum fuit etiam ſub Imperatoribus in viridi obſervantia; Quamvis enim Antoninus Caracalla in nota illa lege [3] in Orbe Romano, civitatis jura omnibus, qui in Orbe Romano viverent, communicaverit: id tamen beneficium non ad libertinos, ſed ad ingenuos tantùm pertinuit, ut recte obſervarunt Spanhemius [4], & Schultingius [5].

CAPUT VI.

De Manumiſſionis Formulis.

MANUMISSIONES antiquitus fiebant 1. Cenſu, quando ſervus juſſu domini nomen ſuum in cenſum luſtralem conferebat. Non ſine

1 *De Formul. IV. p.354. & Petr. Faber Semeſtr. 1. 7. p.36.*
2 *Sigon. de Ant. Jur. Ital. lib.1. p.47.*
3 *L.17. D. de ſtat. hom.*
4 *Orb. Rom. II. 5.*
5 *Ad Caii Inſt. T. 1. 2. p.13.*

Digitized by Google

ne cauſa verò Ulpianus [1] meminit cenſus luſtralis. Non ſtatim enim, atque eum cenſeri juſſerat dominus, plenam libertatem conſequebatur, ſed expectandum erat, dum luſtrum conderetur [2]: interim domino pœnitere licebat.

Porrò cùm Vindex, vel Vindicius Vitelliorum ſervus conjurationem Brutorum, aliorumque juvenum ad Senatum detuliſſet, præmium ei delatum libertas, & civitas; Inde & ſecundæ illi ſolemni manumiſſioni, quæ coram magiſtratu fiebat, *Vindictæ* nomen inditum [3]. Fiebat hæc manumiſſio coram Conſule, vel Prætore, aut Proconſule, adhibito Lictore, qui ſervo percuſſo addebat verba: HVNC. HOMINEM. LIBERVM. ESSE. VOLO. Quo facto in gyrum actus ſervus, inflicta alapa liber dimittebatur. Hinc Perſius de Dama ſervo in gyrum acto [4]:

... Heù ſteriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit: hic Dama eſt, non treſſis agaſo,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc Dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama ....

Vir-

1 *Fragm. 1. 8. p.564.*
2 *Vid. Ludov. Charond. Schulting. & alios.*
3 *Liv. 11. 5. L.2. §.27.*
4 *Sat.v. n.75.*

Virga quâ ſervus percutiebatur *Vindicta* vocata eſt, ab eodem, ut putatur, Vindicio: Et de ea idem Perſius [1]:

Vindicta poſtquam meus a Prætore receſſi.

De alapis in manumiſſione inflictis legi meretur Gaſp. Barthius [2]: De formula manumiſſionis Feſtus, & Briſſonius [3]. Singulare eſt quod notavit Appianus [4], Libonem moriturum, ſervum quemdam, quem ſibi fidiſſimum putabat, in tabernaculo dextra apprehenſum circumegiſſe, moxque ei præbuiſſe jugulum. Et ſane manumiſſio hæc non fuit ſolemnis per Vindictam peracta, quippe quæ in jure fieri oporteret, ſed privata, & mortis cauſa facta, quæ tantùm Libertatem Latinam tribuebat [5].

Cæterum quo ad manumiſſionis verba quidam ſubſtituunt aliam formulam, videlicet: AIO. TE. LIBERVM. MORE. QVIRITVM. Initio ipſe dominus hæc verba pronunciabat [6], poſtea tacente domino Lictor, vel ea ut dicta accipiebantur. Manumiſſionum ritus fuit dum ſervi exſtiterunt: Immo Conſules quidam, etiam ſe-

quio-

1 *Sat.v. n.88. Confer. Claudian. Panegyr. de* IV. *Conſul. Honoarii v.612.*
2 *Ad Britton. Philipp. p.406.*
3 *Feſt. in voc. Manumiſs. Briſs. de formul.*VIII. *p.724.*
4 *De bell. Civil. lib.*IV. *p.669.*
5 *Merill. obſ.*VII. *14. p.25.*
6 *Vid. Schulting. & Oiſel.*

quioris ævi, ſtatim ac Conſulatum inierant, manumiſſiones ſolebant explicare, ad renovandam manumiſſionis illius a Bruto factæ memoriam: Id quod ex Caſſiodorio [1], & Ammiano Marcellino [2], aliiſque veteribus egregie demonſtrat Petrus Faber [3]. Pertinent huc illa Sidonii ad Anthemium [4]:

Nam modò nos jam feſta vocant, & ad Ulpia poſcunt
Te Fora, donatis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes expectant verbera malæ.

Ut & illa Claudiani [5]:

Adſpice, mox lætum ſonuit clamore Tribunal,
Te feſtos ineunte quater ſolemnia ludit
Omnia Libertas, deductum Vindice nomen
Lex celebrat, famuluſque jugo laxatus herili
Ducitur; & grato remeat ſecurior ictu.

Ubi conferri meretur Gaſp. Barthius [6].

Breviter modò verba faciam de alia ſpecie manumiſſionis, videlicet per teſtamentum: Liberti ejuſmodi vocabantur *Orcini*, ſeu *Charonitæ*, quaſi, qui nullum patronum, niſi in or-

co;

1 *Var.* VI. 1. p. 227.
2 *Hiſt.* XXII. 9.
3 *Semeſtr.* I. p. 194.
4 *Carm.* III. v. 545.
5 *De Conſ. Honor.* IV. v. 673.
6 *In adnot.* p. 106.

co, haberent [1]; Quibus libertas per teſtamentum dabatur his verbis: *Davus ſervus meus liber eſto*; ſin verbis præcariis uſus eſſet teſtator: *Rogo Hæredem meum, ut Davum manumittat*, hæres fiduciarius retinebat jura patronatus; ſin denique in certum diem, vel ſub conditione cuidam daretur Libertas, is *ſtatu liber* audiebat, nec plenam libertatem, niſi veniente die, vel exiſtente conditione conſequebatur.

Nihil dicam de manumiſſione per Epiſtolam, & inter Amicos, & per convivium. Loco manumiſſionis per cenſum Imperatores Chriſtiani introduxerunt aliud manumiſſionis genus, quod fiebat in ſacroſanctis Eccleſiis, ut recitatis juſſu domini tabulis a Clero ſignatis, ſervus libertatem conſequeretur: Ita ſermonem exponunt D. Auguſtini [2] a Sirmondo editum, & Papiniani verba [3]. Denique & ipſo jure, nolente licet domino, ſervum nonnumquam libertatem conſequutum novimus. Cauſas a Juſtiniano fere inventas accurate recenſet Thomaſius [4]. Conſtantinus Magnus inter Ingenuos, & Libertinos ſuſtulit aliquas differentias, ſalvo tamen jure patronatus; omnibuſque liberis jus au-

1 *Cujac. Obs.* III. 23.
2 *Serm.* V.
3 *In Reſp.* III. *p.* 829.
4 *Diſs. de uſu pract.* I. 12.

aureorum anulorum, & natalium reſtitutionem dedit: quàm vèrò parum prudenter id conſilii cœperit Imperator, alii oſtenderunt [1].

Cæterum inter inſigna Libertinorum erat, quod veſte alba, & anulo donarentur a patronis [2], & deinde pileati, & capite raſo incederent; Et capillos quidem radere ſolebant in Templo Feroniæ. Qui mos ponendi capillos, utrum ad exemplum naufragorum introductus ſit, an ab Athenienſibus ad Romanos manaverit, diſputat Briſſonius [3]. De ritu ponendi capillos ad Feroniæ Templum videndi ſunt Taubmannus, Alexander ab Alexandro, & Dalecampius. Quò alludens Perſius ait [4];

Verterit hunc Dominus: momento turbinis exit
MARCVS DAMA.

Sed antequam de pileo libertatis ſermonem proſequar, obſervandum eſt, inter ſervos quoque quoſdam exſtitiſſe *pileatos* dictos, de quibus aliqua breviter ſunt enucleanda. *Pileati ſervi* dicebantur, qui pileo impoſito vendebantur, quorum nomine venditor nihil præſtaret, quoniam emptoris oculi jam perciperent quodnam

D eſ-

1. *Veſſemb. ad Tit. Cod. de Jur. aur. Anul. p.360.*
2. *Tertull. de Reſurrec. c.57.*
3. *De antiq. Formul. l.11. p.13.*
4. *Sat. v. v.77.*

eſſet mancipiorum genus. Nam ſicut antiquitus mancipia jure belli capita coronis induta venibant, ita pileus impoſitus demonſtrabat ejuſmodi conditionis mancipia venundari, quæ inſignia eſſent ut emptores errare, & capi non poſſent, ut Gellius ex Sabino refert. Pileati ſervi etiam dicti, qui Domini funus antecedebant, nam Servi directè manumiſſi in teſtamento pileum ſtatim ſumere, ac funus præcedere ſolebant, ut Juſtinianus Imperator refert: *Qui domini*, inquit, *funus pileati antecedunt, ſi hoc ex voluntate fiat vel teſtatoris, vel hæredis, ſtatim illicò cives Romani*. Et Dionyſius Halicarnaſſeus[1]: *Equidem ſcio quoſdam, qui teſtamento omnes ſuos ſervos manumiſerunt, ut poſt mortem boni audirent, & multi lectulos eorum ferales proſequerentur pileati*. Unde ad hunc ritum Livius reſpicens tradit: *Q. Terentium Culleonem, qui a Scipione ſervitio erat exemptus, adeo amicum Corneliæ familiæ fuiſſe, ut pileatus, ſicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum Scipionis iverit*. Ad pileum Servi vocati, qui ad libertatem vocabantur. Suetonius in Tiberio: *Serviſque ad pileum fruſtra vocatis, in Siciliam profugit*; cùm pileus ſignum libertatis eſſet[2].

Va-

1 *Hiſt. lib.* VIII.
2 *Tit. Popma de oper. ſerv. p.* 179.

Variæ ſequiori ævo in Italia fuere manumiſſionum ſpecies : Aliæ enim erant ratione intentionis, & cauſæ, quibus moti Domini ſervos libertate donabant : & rurſus inter ſe erant diverſæ propter variam verborum vim, & formulas, modos, ſeu cæremonias, & ritus, quibus eæ peragebantur; quæ plerumque convenientes erant , & accommodatæ ad palam demoſtrandam, & confirmandam libertatem, quæ jam conceptis verbis data fuerat in Tabulis. Sed ſingulæ harum ſpecierum in plura,ut ita dicam, individua ſubdiviſæ ſunt, quod facile ex ipſarum manumiſſionum documentis deprehendemus. Intentio & cauſa,propter quas inter Chriſtianos ſervis libertas concedebatur, erat religio, ac pietas in Deum, & homines, quibus jungebatur illa pia cauſa *ob remiſſionem peccatorum ſuorum*; Servi verò oblati erant ſuper Altare Majoris Eccleſiæ. Oblatio autem hæc non uno, eodemque modo ſemper fiebat [1]. Aliquando libertus per manum, vel a Manumiſſore, vel ab ejus Nuncio, ut plerumque, ducebatur ad Altare, & ibi ſuper Altare ſiſtebatur, indeque Dieſmannus, ideſt ſervus dictæ Eccleſiæ, plenè liber abibat. Aliquando ſervum ter Altare circumire faciebant ; quando-

D 2 que

1 *Vid. Legem Rothar. v. tit. 39. lib. 11. Leg. Langobard.*

que charta libertatis a Notario ſubſcripta a Domino ſuper Altare imponebatur.

Altera Libertatis formula peragebatur nummum projiciendo coram Rege, quæ *Denarialis* manumiſſio vocabatur [1] ad legem Salicam pertinens. Alia dicebatur *per manus*, cùm a primo ad quartum tranſiret Dominum, indeque in quadrivio ſervus impoſitus, ei dicebatur: *De quatuor viis ubi volueris ambulare liberam habebis poteſtatem*; & hi dicebantur *Amundii* [2]. Itidem manumiſſio fiebat *per impans*, videlicet *in votum Regis*, cui Dominus ſervum donabat. Præter Chartularios, & Tabularios, de quibus jam verba fecimus, ſervi quandoque nigro induti colore equitantes atratis phaleris funus Domini antecedebant [3]; quo expleto liberi erant; uti apud Romanos, qui Domini funus pileati antecedunt, vel in ipſo lectulo ſtantes, cadaver ventilare videntur, ſi hoc ex voluntate fiat vel Teſtatoris, vel hæredis, fiunt illico Cives Romani [4]. Sed de his pluſquam ſatis, nunc ad alia progrediamur.

CA-

1 *Murat. lib.1. Antiq. Ital. col.848.*
2 *Vid. Leg. Vvillelm.1. Reg. Angl. apud Vvill. Lambard. in Legib. Reg. Anglic. p.172.*
3 *Nicolett. Iſt. Aquileg. ad ann.1282.*
4 *Lib.7. Cod. de Lat. Libert. tit.6.*

CAPUT VII.

De genuina Pilei nominis explicatione.

Impositi Pilei nominis derivatio a Græcorum lingua repetenda eſt. Loquuntur de hoc e Foro Romano nonnulli, quorum alii Pileum initia ſumpſiſſe volunt, vel quod ex pilis fiat, vel quod pilos tegat; alii Pileum a pelle hoſtiæ, unde fiebat, & per conſequens pilleum gemino L. ſcribendum autumant. Sed Græcam derivationem Voſſius aliunde trahit [1]: *Pileus*, inquit, *nec quia pilos tegat, nec quòd ex pilis fiat, ſed a Græco* πῖλος, *quod proprie ſignificat coactilia*. At apud Græcos varias ſubit denominationes vox πῖλος. Non tantùm olim πῖλον nobilium capita geſtabant, ſed per totum penè corpus ſe ejus extendebat uſus. πῖλοι apud Hippocratem ſic exponuntur; ſunt enim, velut coactilia quædam, ſive corpori aptentur, ut ſubuculæ, aut thoracia lanea, ſive pedibus adhibeântur caloris gratia, ut udones, & ſocculi lanei, ſive capiti tegumenti gratia imponantur, ut pilei, aut galeri ex lanis coactilibus compacti, a Græcis ge-

ne-

1 *In Etymol.*

nerico vocabulo πιλοι dicuntur. Utraque hæc denominatio probatur unica periodo Pollucis [1]: Ἀρνακίδες *erant calcei ex pellibus agninis* (ἀρνακὶς *eſt agnina pellis cum ipſa lana*) *quibus hyeme utebantur*, *ſicut* πῖλοι *ex lana coactili*. Sic etiam aulæa πῖλοι vocantur apud Xenophontem, ubi loquitur de Medorum aulæis [2].

Ad Latinos nunc convertamur, ubi Pileum ſuos pati manes auctorum varietas teſtatur;nam ἀκύρως [3] apud Poetas primo, inter technopægnia ob dignitatem quam denotat, & figuram quam repræſentat,Pileus poeticus dictus refertur. Deinde Medicis ſuus in uſu eſt pileus exulceratis papillis applicandus [4], ut infantes exinde ſugere poſſint, quem pileum nominant argenteum. Deſtinarunt quoque ſibi Pileos arbores: Huc ſpectat Herodoti teſtimonium, & difertis verbis aſſerit Columella [5], contra frigus arboribus apponi pileolos. Quin etiam ipſa natura recens natorum capita Pileo ornavit, pelliculam illam puta, qua quoſdam infantium, nec omnibus eam attribuit, caput velatum poſſidentes in lucem prodeunt, Latinis *Pileus natu-*

1 *Lib.7. c.33. ſect.4. Grævius lect. Heſiod. c.13.*
2 *Lib. v.*
3 *Alſted. in Encyclop. lib.x. ſect.4. cap.6.*
4 *Jonſton. Polym. Philolog. lib.2. c.38. §.411.*
5 *Lib.27. de arborib.*

turalis dictus, quique bonum habetur omen, ac victoriam per eum ſibi ſpondent Cauſſidici [1]. Narrat Lampridius in Diadumeniani vita, eos opinari huic ineſſe vim quandam ad Judicum favorem conciliandum, quapropter eum ſtatim obteſtrices rapiunt, & credulis vendunt Advocatis.

Apud claſſicos Auctores per res pileatas, ſive homines, ſive ſtatuas, ſive nummi fuerint, res Pileotectas, & Libertatem profitentes ſignificare certò volebant. Apud reliquos non item; ſic ova pileata apud Petronium [2] de *ovis perfuſis*, ut vitellus una cum albumine perfuſus inſperſo farinæ momento, circa putaminis globum exterius coctura cogatur, & concreſcat, ipſique putamini, ut *Pileolus* inſideat, idque contegat, ambiatque. κυρίως generice accipitur pro quovis capitis tegmine, unde Galerus, Albogalerus, Anaxyris, Capidulum, Petaſus, Petaſunculus, Camelaucium, Cucullus, Bardocucullus, Mitra, Tiara, Cauſia, Cidaris, Umbella, & Cudo, accipiuntur paſſim a Scriptoribus nomine Pilei; & omnia capitis integumenta, cujuſcumque formæ fuerint, Latini Pileos appellarunt. Cæterum interdictos ſibi ſci-

1 *Panvin. de Lud. Circ. lib.1. c.12.*
2 *Satyr. p. m.38.*

ſciant Diſſertationis hujus limites Pilei Hebraici, Macedonici, Perſici, Arcadici, Theſſalici, Barbarici, & quicumque excogitari poſſunt Barbaricis affines.

CAPUT VIII.

De propria Pilei nominis definitione.

POLYDORUS Virgilius [1] cùm de Pileo loquitur, ita de eo ſuam profert ſententiam: *Eſt vel novitium inventum illud laneum tegmen capitis, quod Biretum, Pileumque vocant; veteres enim omnes caput non velabant, ſicuti teſtantur numiſmata, vel ipſæ ſtatuæ, quæ, ut Romæ vidimus, apertum habent caput.* Eandem ſequitur ſententiam Frigelius [2], dum quærit: *Cur nullæ antiquæ ſtatuæ cum pileo videantur? Quia nullus in uſu fuit pileus, niſi diebus ſaturnalibus, peregrinationem, militiam* .... Sed hi male abutuntur no-

1 *De Inven. rer. lib.3. c.18.*

2 *De Stat. Illuſt. Rom. c.20.* Trojani caput tegebant Pileo Phrygio, veluti Fabrettus, & Begerus exhibent in Tab. Iliac. Ita Midas Rex Phrygiæ effingitur in nummo cum epigraghe ΜΙΔΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ. In nummo Hadriani itidem obſervatur cum epigraphe. RESTITVTORI . PHRYGIAE. Et in gemma Collectionis Borionianæ; & in nummo Ilienſium.

nomine pilei. Lipſius [1] quoque non ſolùm Romanorum, ſed etiam Græcorum capita denudare intendit; & hanc minùs veriſimilem ſententiam Antiquitatis Romanæ ſtudioſis primus propinavit, quam proſecutus eſt Seldenus [2]. Sed horum ſententiam rejiciam, non ut inde nullam nudationem capitis Populum Romanum adhibuiſſe, ſed quæ ab illis afferuntur, nullius eſſe momenti demonſtrem.

De Romanis, Græciſque adfirmandum arbitror, non tantùm Statuas, ſed & numiſmata inveniri pileata. Dioſcuri pileati cernuntur, immo in nummis Pilea cum ſtellis tantummodo effinguntur ad Dioſcuros exprimendos [3]. Ulyſſes quoque pileatus in ſtatuis nummiſque inſculptus cernitur [4]. Quid dicam de Paride, Aty, Mida, cæteriſque Parthorum, Perſarumque Regibus? Inter Romanos comici Pileati veniunt; Mercurius Petaſatus adſpicitur, Pileus ad Libertatem tribuitur, pileuſque in nummis nonnullis effingitur [5].

1 *De Amphit. c. 19.*
2 *In ociis Theol. lib.1. Exerc.6.*
3 *Vid. Numis. tab.III. n.1. & 6.*
4 *Vid. meam Diſſert.* Di un' urna del Muſeo Capitol. *& hic Tab.3. n.4. Num. Famil. Mamil.*
5 *Tab.I. II. III. IV. Perſi pileo, ſeu Tiara Perſica tegebant capita, itaque molliora erant, quàm Græcorum. Ariſtotel. Hiſt. Animal. lib.3.*

Proſequitur Lipſius : *Scriptores etiam priſci Pileum, aut petaſum abſtinere voluerunt e vulgo*. Si de moderno, petaſatoque, vel rotundiformi pileo intelligat, equidem in ſuam deſcendo ſententiam [1]; ſed de operimento capitis apud veteres, & de pileo Libertatis, Libertinorumque innumeri ſunt Scriptores, qui verba faciunt. Enarrat lepidiſſimus Catullus, qua in Urbis parte habitarent Libertini, quibus alio loco turpem minatur pœnam [2]:

A pileatis nona fratribus Pila.

Si itaque illa Aedes fratrum pileatorum, videlicet Caſtoris, & Pollucis, exſtitit notiſſima populo, eò magis literatis viris. Quid de ſigno Urſi pileati, qui nomen indidit vico in Exquiliis [3], & de ſigno Mercurii petaſato? Petaſum Mercurii tegmen eſt, ex quo Tabellarii *petaſati* dicti fuere; ignoro an literati, liberti vel ingenui fuerint. Petaſati erant quoque

lib.3. c.11. & De Gener. Animal. lib.5. c.5. unde Pileos canitiem citius producere. Vide Van Dal. Diſſert. de Deo Mithra, & Marmora Burgheſiana, & Albana.

1 *Edictum promulgavit anno 1566. Card. Jacobus Sabellus Urbis Romæ Vicarius de vita, & honeſtate Clericorum, in quo hæc habentur:* Pileos ne habeant, niſi valetudinis cauſa, quos ſimplices, neque turbinatos, quos ingrediendo in Eccleſiam, vel ædes maximè publicas ſemper omittant.

2 *Eleg.38.*

3 *Vid. Donat. & Nardin. Rom. vetus &c.*

que milites, ut ex Pſeudolo Plauti ibi [1]; *Iturienti Militi opus eſſe Chlamyde, machæra, & petaſo.*

Quid dicam de altero Lipſii argumento? „ Quo facit, inquit, valde Suetonii locus [2], qui Julium Cæſarem ex omnibus decretis ſibi honoribus, non alium lubentiùs, aut crebriùs uſurpaſſe ait, quàm jus laureæ coronæ perpetuo geſtandæ, idque ad calvitium celandum. Obſecro, ut quid, ſi pileus, aut petaſus illis? qui certe aptior & fidelior ad diſſimulandum calvitium? Quid meliùs, vel petaſum geſtare tamquam Tabellarius, vel pileum, tamquam ſervus manumiſſus, vel lauream coronam, & a periculo eſſe tutus, Muſiſque amicus? „

Proſecutus jam Lipſii adversùs Pileum objectiones, videor aſſequi poſse quinque hominum genera Pileum geſtaſſe, videlicet, homines e ſervitute manumiſſos, ægros, ſenes, & qui in balneis ſunt, ac milites. Hinc oriuntur x. ſtatus hominum diverſi, & admodum diſtincti, ſcilicet: Libere degentes, ſacrificantes, luden-

1 *Act.* IV. *ſcen.* 7. *v.* 90. *Etiam Romani milites Pileis ex pellibus utebantur*, qui hyemales pilei *appellati*, *& ex lupinis pellibus conficiebantur, ad quod alludens Virgilius cecinit Aen.* VII. *v.* 688.

. . . . . Pars ſpicula geſſit
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti . . .

2 *Lib.* I. *c.* 45.

dentes, Saturnalia celebrantes, Militantes, Peregrinantes, Seneſcentes, Ægrotantes, Convivantes, & denique balnea frequentantes; quibus ſingulis licitus erat Pileorum uſus, ſed de iis intellige, qui operto capite aliqua ex cauſa incedunt, ut de Togæ lacinia accipiendum putant, cùm eandem capiti impoſitam, vel inde diſtractam habeamus, ſicuti in Petronii ſatyrico legitur, & apud Suetonium in Julii Cæſaris occiſione; & uti Milites caſſide, flamine Sacerdotes, ita & ſervi libertini pileo; omneſque pluvio tempore tegillo, galeroque, aut ſub ſole petaſo, vel umbella. Lucianus in Philopſeude æreum Hippocratis ſignum memorat capite more Medicorum tecto. Urſinus ex Corneola caput dedit Philoſophi velo obductum, an & ipſum Hippocratis [a]?

CA-

[a] *Angel. Abati ad Juſur. Hippocr. c. 5. n. 35. queſt. 5. fol. 50. 1. Auſon. Idyll. de Grypho 1.*

Caput IX.

De vera Pilei materia.

Triplex Libertas, capitiſque minutio triplex, ut ſupra oſtendimus. Cùm dominus ſervum, quem manumittere volebat, ad Prætorem adduceret, & caput, aut aliud membrum teneret, dicebat: HVNC. HOMINEM. LIBERVM. ESSE. VOLO, & ſimul e manu mittebat. Prætor autem, *vindicta*, videlicet virga ſervi capiti impoſita, hæc ajebat: DICO. EVM. LIBERVM. ESSE. MORE. QVIRITVM, inde ad Lictorem converſus addebat. SECVNDVM. TVAM. CAVSAM. SICVTI. DIXI. ECCE. TIBI. VINDICTA. Tum Lictor accepta a Prætore vindicta, caput ſervi percutiebat, faciem, tergumque palma, quibus peractis nomen manumiſſi in acta referebatur, adjecta cauſa manumiſſionis [1].

Poſt manumiſſionem ſervi, qui in Libertinorum cœtu erant cooptati, Pileum Libertatis ſumebant.

Hæc mera Libertas, hoc nobis pilea donant [2].

An-

1 *Hildebrand. in compend. Antiq. Rom. ſub tit. Manumiſ. Heinecc. Antiq. Rom. tit. 3.*
2 *Perſ. ſat. v. v. 82.*

Antequam ſervos deſeram, obſervanda eſt conjectura Racuardii[1] putantis, Tuſcum vicum Romæ exſtitiſſe, in quo homines ſe ipſi vendiderint, quod arguit ex Plauti Curculione, ubi inquit[2]:

Sub veteribus, ibi ſunt qui dant, quique accipiunt fœnore.
Pone Ædem Caſtoris, ibi ſunt ſubitò, quibus credas male.
In Tuſco vico, ubi ſunt homines, qui ſe ipſi venditant.

Et Horatius[3]:

Ac Tuſci turba impia vici.

Sed ibi de improbis meretricibus, & lenonibus ſermonem fieri, jam pridem obſervârunt Eruditi viri.

De Pilei materia modò, ut in hujus Capitis epigraphe propoſuimus, differendum. Vegetius de re militari loquens, ita de militum pileo verba facit: *Uſque ad præſentem prope ætatem conſuetudo permanſit, ut omnes milites pileis ex pellibus uterentur, quod propterea ſervabatur, ne gravior galea homini videretur in prælio, qui geſtabat ſem-*

1 *Conject.* II. 8.
2 *Act.* IV. I. *v.*19.
3. *Serm.* II. 3. *v.*228.

ſemper aliquid in capite. Hyemales quoque pilei ex lupinis pellibus conficiebantur, ad quos adludens Virgilius canit [1]:

. . . . . Pars ſpicula geſſit
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti . . . .

Quorum omnium tam materiam, quàm formam, quàm maxime diſtare videtur a Libertatis pileo. Libertatis verò pileum inſignem laneum eſse oſtendam.

Libertinorum Pileum ex lana coacta compactum exiſtimo; Braunius [2] rem acu tetigit. Sanè pileos Libertinorum fuiſſe ex lana coacta credibile eſt, cùm nihil aptius ſit præter ferrum ad pluviam arcendam. Idem legimus apud Scholiaſtem Ariſtophanis [3]: *Pileus ex lana factus*; & Suidas in Lexico in ſpecie notat, ejuſmodi Pileos ex lana agnina nonnumquam, quamvis aliàs & ex ovilla fieri, cum revera lana agnina huic rei ſit aptiſſima [4]. Voſſius cùm de Pileo libertinorum loquitur [5], autumat, Pilea hæc, non uti hodie apud nos obtinet,

1 *Aen.* VII. *v.* 688.
2 *De veſtib. ſacr. c.* 4. §. 3.
3 *In Acarnan.*
4 *Plin. Hiſt. Nat. lib.* VIII. *c.* 48.
5 *De vit. Sermon. lib.* 1. *c.* 29.

net, fuiſſe ex lanis vel villis coactis, cujuſmodi coactilia vulgo *feltra* dicuntur; ſed ex pannis, ſive flammeis contexta. Statius [1]:

. . . . . Vſque adeo ne deſuerunt
Cæſis Pilea ſuta de lacernis?

Serviles pilei ex lana arctata fuere, ut idem Statius ſcribit alio loco [2]; & Barthius, ac reliqui in animadverſionibus hunc locum eo modo intelligunt [3]: *Viliſſima pilea ex fruſtis melioribus malarum lacernarum facta hinc docemur*. Octavius Ferrarius [4] ita rem explicat; Domitius ad Statium, & cum eo Brodæus in miſcellaneis Pilea ex atratis lacernis fieri ſolita contendunt. Mihi tamen veroſimilius videtur, hìc Pileum ſumi pro cucullo, qui cùm opus eſſet ſimul cum lacernis tegendo capiti ſumebatur, ut pauper, qui totas lacernas mittere non poterat, ſolum cucullum miſerit. Pilea tamen, quæ a Libertis, & ingenuis geſtabantur, ex lana coacta confecta fuiſſe opus eſt, aliter ægre pluviæ arceri potuiſſent. Statius enim eo loco viliſſima, & pauperrimorum Saturnalia dona per jocum re-

1 *Lib.* IV. *ſylv.* 9. *v.* 24.
2 *Thebaid.* IV.
3 *Liv. Hiſt. lib.* XXIV. *c.* 16. Ante ſuas quibuſque fores prolata omnia, pileatis, aut lana alba velatis capitibus.
4 *De Re veſt. p.* 2. *lib.* 1. *c.* 22.

recenſet, qualia Martialis inter Apophoreta non adſcriberet.

Pilea ex atratis lacernis fieri nonnullorum ſententia eſt, videlicet ex lana textili, alboque colore. Herodotus id confirmat, dum ait [1]: *Circum caput habuere dictas tiaras, Pileos non compactos*. Sed Herodotus hic loquitur de Perſis, qui Pilea gerebant incurva, & ita legi debet Herodoti locus, magis quam *impenetrabilia*, vel *incompacta*, ut nonnulli legunt Interpretes; Perſarum enim vulgus tiaras incurvas, & inflexas geſtabat, Rex ſolus rectas, & fixas. Sed Perſarum habitus nihil commune cum Romano Libertinorum habet. Eodem modo exponi debet Apuleji locus [2]: *Vidi*, ait ille, *Urſam manſuetam, quæ cultu matronali ſellâ vehebatur, & Simiam pileo textili, crocotiſque Phrygiis, catamiti Paſtoris ſpecie, aurum geſtantem poculum, & Aſinum pinnis adglutinatis adambulantem cuidam ſeni debili: ut illum quidem Bellerophontem, hunc Pegaſum diceres, tamen rideres utrumque*. In hac jocoſa enarratione videtur Auctor loqui de Pileo Phrygio Paridi tributo. Ex omnibus jam deductis Libertinorum pileos potius ex compacta lana, quàm ex textili, peractos fuiſſe exiſtimo.

F Nunc

1 *Lib.* VII. *Polym. c.*61. *Liv. lib.*24. *p.*415. Pileati, aut lana alba velatis capitibus Volones epulati ſunt.

2 *Lib.* XI. *Metamorph.*

Nunc aliqua dicenda ſuperſunt de Pilei colore. Livius ad hanc quæſtionem ſolvendam facem præbet, hæc referens [1]: Cùm enim Volones, quorum ope adverſus Pœnos, & Hannonem Ducem pugnavit T. Sempronius Gracchus, hoſtibus fuſis fugatiſque, eſſe liberos juſſiſſet, *per laſciviam, & jocum ita ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis per celebrem, feſtumque diem actis non ex acie reverti viderentur. Beneventani omnes turba effuſa cùm obviam ad portas exiſſent, complecti milites, gratulari, vocare in hoſpitium. Apparata convivia omnibus in propatulo ædium fuerant: Ad ea invitabant, Gracchumque orabant, ut epulari permitteret militibus. Et Gracchus ita permiſit, ut epularentur omnes. Ante ſuas quibuſque fores prolata omnia. Pileati, aut lana alba velatis capitibus Volones epulati ſunt: alii accubantes, alii ſtantes, qui ſimul miniſtrabant, veſcebanturque.* Ex his eruitur, Pileos quibus tegebantur Volonum capita ex lana alba extitiſſe. In hac verò publica manumiſſione Volonum, qui jam alterum annum Libertatem potius tacite mereri, quàm poſtulare palam voluerunt, non aureas, vel laureas poſtulavere coronas, ſed Libertatis Pileum, ut illos unuſquiſque cenſeret ſtrenuæ Libertatis propria dextra acquiſitæ auctoritate

1 *Hiſt. lib.* XXIV. *c.* 16.

ctores: Quod indigitat Paſchalius [1], dum ait: *Caput Pileatum lanâ alba velamen eſt, evidens argumentum ingenuitatis, ut raſum ſervitutis, capillatum reatus*. Quare ergo nec laciniam togæ, nec partem attritæ lacernæ capiti impoſuerunt jam dicti Volones, eo quia peregrinantes videri noluerunt, ſed potius ob bellicam fortitudinem libertate donati.

. . . . Faxit Juppiter,
Ut ego hic hodie raſo capite calvus capiam Pileum,

ſicut Soſias [2] exclamavit apud Plautum.

CAPUT X.

De uſitata Pilei forma.

Ritum illud dandi libertatis Pileum a Spartanis ortum puto, a quibus etiam Dea Feronia, in cujus Luco, vel Templo ſervi manumiſſi Pileum accipere ſolebant, ſicut ſe explicat Servius [3], ad Romanos devenit. Tamen

non

1 *De Coron. Vid. Tab.*III. *n.*9. *& Tab.*IV. *ubi pilea exibentur, quæ coactilia ex eorum forma, & inciſione apparent. Bechanus in Hermathen. lib.*8. Quoniam qui Pileos farciunt, & id genus alia, non intexunt, ſed infarciunt lanam.

2 *Amphit. Act.*1. *ſc.*1. *v. ult.*

3 *Ad Aen. lib.*VIII.

non eſt inuſitatus apud Latinos Pileus umbellatus, quem Plautus vocat *funginum*, quaſi fungi forma [1]: *Pol hic quidem fungino genere eſt, capite* (petaſo in capite tam lato) *ſe totum tegit*. Libertatis verò pilei abſque umbellis reperiuntur in veterum monumentis. Antonius Auguſtinus [2] quidem cùm ſermonem de Libertate habet hæc ait: *Hanc ſcilicet Libertatem repræſentat Matrona erecta, dextra pileum rotundum tenens, ſiniſtra vero virgam. Servi autem, & mancipia cùm manumitterentur attondebantur, Pileoque capiti impoſito, veſte candida induebantur. Virga, quam ſiniſtra Matrona geſtat, ea forte eſt, quam Vindictam nominabant, qua ſervus percuſſus non a Patrono, ſed a Prætore, vel Conſule: quibus præſentibus ſervi libertate donati*. In alio nummo *volam* manus Libertas diductam oſtendit, quaſi ferire velit palmâ; qui geſtus etiam manumiſſioni convenit [3]. In Antonini Elagabali nummis quibuſdam fœmina Pileum rotundum dextera, & Amaltheæ cornu ſiniſtra geſtat [4]; oſtendere volens, rerum omnium ubertatem a Libertate promanare.

Qualis rotundo Pileo ſuperadditus ſit color

1 *Trinum. Act.* IV. *ſc.* 2. *v.* 9.
2 *Dial. de num. p.* 94. *vid. Tab.* III. & IV.
3 *Vid. Tab.* III. *n.* 7.
4 *Tab.* I. *n.* 6.

Digitized by Google

lor ſupereſt expendendum. Diodorus Siculus [1] introducit *Pruſiam Romanis occurrentem calvo capite cum Pileo candido, & toga, calceiſque*. Ex quibus hoc quoque eruitur, novos libertos apud Romanos albis veſtibus olim uſos fuiſſe. Tertullianus famulum libertate donatum albæ veſtis nitore, anuli aurei ſplendore, Patronique nomine, tribu, ac menſa honorari ſcribit [2]. Quare Chriſtifideles a diaboli ſervitute per Baptiſmum manumiſſi alba veſte induti per octiduum incedebant. Et dies VIII. poſt Paſcha *Dominica in albis* vocatur. Hinc D. Auguſtinus [3]: *Paſchalis ſolemnitas hodierna*, inquit, *feſtivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur; Ita tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur*. Cæterum Libertorum Pileos candidos exſtitiſſe argumento eſt illud Perſii [4]

... *Sint omnia protinus alba*.

Et Ovidius [5] ad hæc reſpicit, dum ait:

... *Candidus in nautis turpis color,*
At in Libertis numquam deteſtabilis ...

Et

1 *Lib.XXII.*
2 *De Reſur. Chriſti c.57.*
3 *Serm. de Temp.157.*
4 *Sat.I. v.110.*
5 *Lib.I. Art. Aman. v.723.*

Et Juvenalis [1] :

Maneant qui nigrum in candida vertunt,

videlicet *habitum*.

Libertatis Pileus tam forma, quàm colore diſtabat a cæteris Pileis. Hujus generis fuit Pileus Flaminis, qui erat acuminatus inſtar Pyramidis: Libertinorum verò Pileus comparabatur pileo Sacerdotum Hebræorum. Ejuſmodi figuram cum Libertatis pileo, & gregariorum Sacerdotum Pileo apud Hebræos oſtendit D. Hieronymus [2]: *Quorum genus veſtimenti eſt rotundum pileolum, quale in Ulyſſe pictum conſpicimus*. Lacones pileum rotundum gerebant, ut jam ſupra dixi; & quod tales fuerint, cujuſmodi ſuis civibus impoſuerunt Dioſcuri ipſi, non dubitandum, cùm luculentum rei teſtem habeamus Lycophronem, & Tzetzem; neque fas eſt ad Garamantos pergere, quos Pierius Valerianus oſtendit, ex dimidio ſtruthionis ovo in æquales partes diviſo duplices efformaſſe Pileos [3]. Nec ſatis hoc eſſe puto ad formam Pileorum Laconibus uſitatorum, quatenus in nummis apparent, quin ſupra Pileos etiam ſtellas effictas narret Sextus

1 *Sat.III. v.30.*
2 *Epiſt.128. ad Fabiol.*
3 *Lucian. in Δίψασ.*

tus Empiricus [1], ubi de illis adverſus Mathematicos agit: Teſtis ſit numiſma ex Muſeo Chriſtinæ Suecorum Reginæ adductum ab Ezechiele Spanhemio [2], in quo Aquila ſuper Labyrinthum cernitur cum duobus Pileis, duabusque ſuperimpoſitis ſtellis [3], quas Dioſcurorum eſſe non fruſtra pro more ſuo contendit Auctor clariſſimus.

CAPUT XI.

De tempore geſtandi Pileum.

PERCUSSORES Julii Cæſaris, quando togis circa lævas manus obvolutis vice clypei cruentos tenentes gladios, clamabant Regem, & Tyrannum ſe occidiſſe, & perplexa ſervitutis Romanæ pectora expaveſcerent, ac quilibet conjuratorum

. . . ibat ovans, & ſpe ſua damna levabat;

noverunt hoc civium Romanorum plurimi, ideoque nec dubitarunt Pileum futuræ Libertatis ſponſorem per compita Urbis, vel in ſui, vel

1 *Lib.* VIII. *ſect. de Diis. Vid. Tab.* III. *n.* 1. *&* 6.
2 *De vet. numiſ. Diſſ.* V.
3 *Tab.* 3. *n.* 6.

Digitized by Google

vel in Reipublicæ ſalutem cicumgeſtare[1]. Unde Seneca[2]: *Dicet nunc aliquis*, inquit, *me vocare ad Pileum ſervos & Dominos de faſtigio ſuo dejicere*. Recenſentur hujus quoque exempla tam a Valerio Maximo[3], (dum inquit: *C. autem Marius cùm maximum, & ſalutarem Reipublicæ civem in L. Saturnino opprimendo*, erat cum M. Flacco ſeditioſiſſimus Civis, adeoque trucidatus[4], *egiſſet, a quo in modum vexilli*, ſignum Libertatis, *Pileum ſervituti*, ſervis, *ad arma*, contra Dominos ſuos, & præpotentes cives, *capienda oſtentatum erat*: *L. Sylla cum exercitu irrumpente in Urbem, ad auxilium ſervorum pileo ſublato confugit*, nonnullæ editiones *ſuperlato*[5], Pileo erecto, & vocatis eis ad libertatem;) quàm ab Aurelio Victore[6], non Cor. Nepote, nec C. Plinio, quod in Sorani lexico non animadvertit Cellarius: *L. Cornelius Cinna flagitioſſimus Rempublicam ſumma crudelitate vaſtavit; primo Conſulatu legem de exulibus revocandis ferens, ab Octavio collega prohibitus, & honore privatus Urbe profugit, vocatiſque ad Pileum ſervis, adverſarios vicit*.

Li-

1 *Appian. Alexand. lib.* I. *de Bel. Civ.*
2 *Ep.47. aliàs lib.*VI. *c.3.*
3 *Lib.*VIII. *c.6.* §.*2.*
4 *Id. lib.*VI. *c.3.* §.*5.*
5 *Vid. Minell. in not.*
6 *De Viris illuſtr. num.69.*

Livius verò hæc ad rem noſtram[1] : *Poſtero die ſervi ad Pileum vocati, & carcere vincti emiſſi, confuſaque omnis multitudo Hippocratem, atque Epicyden creant Prætores, Syracuſæque, quum breve tempus libertas affulſiſſet, in antiquam ſervitutem reciderunt*. Invenitur tamen apud Suetonium[2], Patrem Tiberii fruſtra ſervis ad Pileum vocatis in Siciliam profugiſſe; hoc eſt, ut explicat Beroaldus, quod hominem ſequi noluerint, maluerintque in ſervitute vitam degere, quam ſpe libertatis periclitari.

Erectum etiam aliquando a L. Sylla Pileum inter legendum offendimus; quod ſequentem in modum nobis deſcriptum reliquit Valerius Maximus[3] : *Jam L. Sylla non tam incolumen, quàm Sulpitium Rufum perditum voluit, Tribunitio ejus furore ſine fine vexatus. Cæterum cùm eum proſcriptum, & in villa latentem a ſervo proditum comperiſſet, manumiſſum* (libertate donatum) *Parricidam* (domini, & quaſi patris ſui occiſorem) *ut fides edicti ſui exſtaret*, (quia edixerat, quod quicumque ſervus proſcriptum indicaret, libertatem aſſequeretur) *præcipitari protinus e ſaxo Tarpejo cum illo* (proditionis) *ſcelere parto Pileo juſſit*.

G Vi-

1 *Liv. lib.24. c.32.*
2 *Lib.3. §.4.*
3 *Lib.VI. c.5. §.10.*

Vidit ablatum ſibi ab Aquila Pileum Tarquinius Priſcus, triſtitia ſine ullo dubio affectus, ſed ubi ab eadem iili impoſitum animadvertit uxor Tanaquil, Regnum, & Libertatem marito ſuo auguravit. Dionyſius, & Livius hoc idem referentes audiamus; Livius quidem ſic [1]: *Ad Janiculum forte ventum erat; ibi ei*, Tarquinio Priſco, *carpento ſedenti cum uxore, Aquila ſuſpenſis demiſſa leniter alis Pileum aufert, ſuperque carpentum cum magno clangore volitans, rurſus velut miniſterio Divinitatis miſſa, capiti aptè reponit, inde ſublimis abiit. Accepiſſe id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgo Etruſci, cæleſtium prodigiorum mulier. Excelſa, & alta ſperare virum complexa jubet, eam alitem, ea regione cæli, & ejus Dei nunciam veniſſe, circa ſummum culmen honoris auſpicia feciſſe; levaſſe humano ſuperpoſitum capiti decus; ut redderet*. Pileum Dionyſius ſic appellat, cùm ſignificat Tarquinium eſſe Libertinum, non ex ſervili familia natum. Pileum autem Libertatis in capite habuiſſe tunc temporis ſuadet πῖλω vocabulum apud Halicarnaſſæum [2], numquam alias inveniendum, niſi de Libertatis Pileo ſit intelligendum; ita Pi-

1 *Lib.*I. *c.*34.
2 *Lib.*III. *p.*185.

Pilei mentio a Livio[1] numquam facta, niſi de Libertatis Pileo. Tarquinii ſtatus, & Pilei materiæ apta diſpoſitio, nempe lanea filamenta unguibus, ſive roſtro avis facile adhærentia, qui quoque ut portatu non difficilis eſt, ſic poni facile poteſt, imponi, deponique, *ut divinitus eidem redderet*. Sic Libertatis Pileus ſervo impoſitus, certum eum reddidit de ſua Libertate, & quod e numero mancipiorum eſſet exemptus: geſtabat ergo hunc tamquam publicum manumiſſionis characterem, ab eo tempore, quo ſervitutis incommodum ſubterfugiſſet.

Cæterum habuit Libertatis Pileus præter continuos manumiſſorum vertices, quos ſibi ſemper concreditos voluit, certa apud Romanos tempora, quæ Pileo geſtando propria deſtinavit Libertatis veneranda æſtimatrix antiquitas. Inter ſtata anni tempora, & Diis conſecrata Aeneadum feſta Pileo geſtando conceſſa fuiſſe Saturnalia referunt annales, & antiquitatum Romanarum ſcriptores. Erant tum libertinæ vitæ dies in Saturni[2] memoriam. A Græcis ad Romanos promanaſſe has ferias[3],

 & fe-

1 *Liv. l.1. c.34.*
2 *Lucian. Dial.1. p.1023.*
3 *Servius ad Virgil.* Sane ſciendum, ſacrificantes Diis omnibus caput velare conſuetos, ob hoc, ne ſe inter religionem vagis aliquid offe-

& feriarum Saturni ritus teſtatur fragmentum L. Accii veteris tragici [1]:

Maxima pars Grajum Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt Sacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.
Quumque diem celebrant, per agros urbeſque fere omnes
Exercent epulas læti, famuloſque procurant
Quique ſuos, noſtrique itidem, & mos tardius illinc
Iſte, ut cum Dominis famuli ut epulentur ibidem.

Ex his facem ſumpſit Horatius [2] in ſuis ſatyris, in quibus flagitioſa hæri vita a ſervo reprehenditur precariâ Saturnaliorum libertate; cùm enim Davus dixiſſet:

Jamdudum auſculto, & cupiens tibi dicere ſervus
Pauca, reformido; . . reſpondit mox Dominus:
. . . . . . *Age, libertate Decembri,*
Quando ita majores voluerunt, utere, narra.

Quod autem Saturnalia intra Italiæ fines ſolemnia haberentur menſe Decembri, fidem faciunt ultimi verſus Auſonii de Menſibus [3].

Au-

offerat obtutibus: excepto tamen Saturno, ne numinis imitatio eſſe videretur, quia Saturnus capite velato ibi cernitur. *Macrobius Satur. lib.3. c.6.* Omnes aperto capite ſacra faciunt, ne quis in Aede Dei habitum ejus imitetur; nam ipſe ibi operto eſt capite.

1 *Lib.1. Annal. ex Priſciano lib.5.*
2 *Lib.II. Sat.VII.*
3 *Eidyll.XX.*

Aurea nunc revocet Saturni feſta December,
Nunc tibi cum Domino ludere verna licet.

'Unus Saturnalium dies, poſtquam Romæ Coſs. A. Sempronio, & M. Minucio, feſtus iſte dies erat inſtitutus, narrante Livio [1], manſit ad J. Cæſarem, a quo tres celebrari cœpti, idque Octavius Auguſtus tenuit, qui in legibus judiciariis triduum ferias ſervari juſſit. De IV. die incerta proferam; nam illum quis addiderit non liquet. Quintum verò a Caligula additum reperio; Suetenius enim inquit [2]: *Ut lætitiam publicam perpetuum augeret, diem adjecit Saturnalibus, appellavitque Juvenalem.* Illum tamen V. diem poſt Caji cædem abolitum [3] reſtituit Claudius. In univerſum ergo Saturnalium dies legitimi erant quinque; quicquid afferat Beroaldus, qui diem ſibi fingit ſextum, vel octavum. Nam Martialis in Diſſimulatorem cecinit [4].

Nulla remiſiſti parvo pro munere dona;
Et jam Saturni quinque fuere dies.

Poſtea accedentibus duobus appendicis loco, qui *ſigillaria* conſtituebant, lætitiæ ſaturnalium dies

1 *Lib.2. c.21.*
2 *In Callig. c. 17.*
3 *Dio lib. 60.*
4 *Lib.IV. epig.89.*

dies prorogati ſunt, licet feſti non eſſent plures; Idem Martialis [1]:

Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni ſeptem venerat ante dies.

Quinimmo hilaritatem Saturnalium per integrum menſem Decembrem continuatam aſſerit Senecæ ſententia [2]: *December eſt menſis, cùm maxime Civitas deſudat. Jus luxuriæ publicæ datum eſt: ingenti apparatu ſonant omnia, tamquam quicquam inter Saturnalia interſit, ac dies rerum agendorum; adeo nil intereſt, ut videatur mihi erraſſe, qui dixit, olim menſem Decembrem, Saturnalia fuiſſe, nunc annum.* Pileum geſtandi morem iſtis diebus innuit idem Philoſophus [3]: *Si te bene novi, arbitri partibus functus, nec per omnia nos ſimiles eſſe pileatæ turbæ voluiſſes, nec per omnia diſſimiles, niſi forte his maxime diebus animo imperandum eſt, ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cùm in illos omnis turba procubuit.* Quippe feſtis Saturni diebus [4] ſervi ingenuorum miniſteria occupare, Pileos ſumere, & a liberis nullo diſcrimine differre, ſtipeſque invi-

1 *Lib.14. ep.72.*
2 *Lib.2. ep.6.*
3 *Epiſt. ad Lucil. n.18.*
4 *Vid. Mart. Apophor. lib.1. Alex. ab Alex. dier. gen. lib. 2. c.22. Tiraquell. Roſin. Dempſter. &c.*

vicem dare, & munera, xeniaque invicem tradere ſolebant.

Ludum Saturnaliorum idem memorat Martialis [1]:

Ludite laſcivi, ſed tantum ludite ſervi,
Hæc ſignata mihi quinque diebus erunt.

Sed præter vernarum luſum Saturnalibus auditum, etiam Poetarum luſus permittabantur; ita Ovidius [2], & Martialis [3], qui ait:

Unctis falciferi ſenis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Verſu ludere non laborioſo
Permittis, puto, pileata Roma.

Gladiatores quoque hiſce diebus jocoſe pugnabant, ideoque *tuta Rudis* ab Ovidio dicta [4]:

Tutaque depoſito poſcitur enſe Rudis.

Quod ſi libertatem etiam impetrarent, mos erat, ut *pilcarentur*, ideſt, exemplo reliquorum ſervorum, Pilei impoſitione liberi judicarentur. Ideo Tertullianus bene Rudem a pileo ſe-

1 *Lib.XI. ep.8.*
2 *Triſt. lib.2. v.485.*
3 *Lib.XI. ep.8.*
4 *Loc. cit.*

Digitized by Google

ſejunxit[1]: *Et qui inſigniori cuiquam homicidæ leonem poſcit, idem Gladiatori atroci Rudem petat, & Pileum præmium conferat*. Tempus Rudi, tempus Pileo præſcriptum erat, quod ex ſolo fragmento Ulpiani nobis innotuit[2]: *Eſt autem*, inquit ille, *differentia inter eos, qui ad gladium, & eos, qui ad ludum damnantur. Nam qui ad gladium damnantur, confeſtim conſumuntur, vel certe intra annum debent conſumi; Cum verò qui ad ludum damnantur, non utique conſumuntur, ſed etiam pileari, & rudem accipere poſt intervallum poſſunt. Siquidem poſt quinquennium pileari, poſt triennium autem rudem induere iis permittitur*. Ubi obſervat Lipſius, ſaltem ex intervallo temporis Pileum Rude meliorem fuiſſe. Ita ſervos his Saturnalibus pileatos priſtinum inire ſervitutis ergaſtulum, cùm temporis ratio ulteriorem non ſinat Libertatem.

A ludis ad caſtra tranſeamus: *Flaminii*, ut refert Valerius Maximus[3], *de Philippo Rege triumphantis currum, non unus, ſed duo millia Civium Romanorum pileata comitata ſunt, quæ Punicis bellis intercepta, vel dolo capta, & in Græcia ſervientia, cura ſua collecta* in

1 *De Spect. c.21.*
2 *Vid. Pithæum.*
3 *Lib.5. c.2. 6.*

Digitized by Google

in priſtinum gradum reſtituerat. Geminum ea re decus Imperatoris, a quo ſimul & divicti hoſtes, & conſervati Cives ſpectaculum Patriæ præbuerunt. Illorum quoque ſalus dupliciter omnibus accepta fuit, & quia tam multi, & quia tam grati exoptatum libertatis ſtatum recuperaverunt.

Non vacat altercationes illas per triduum factas inter Conſules, Tribunoſque Romanos audire, qui nam ob res bello proſpere geſtas triumphum ageret, vel Q. Minucius, vel Gn. Cornelius, hic de Inſubribus, Cenomaniſque, ille de Liguribus, Boiiſque Gallis. Id verò certum eſt [1], Gn. Cornelio omnium conſenſu decretum fuiſſe triumphum, & Placentinos, Cremonenſeſque favorem Conſuli addidiſſe, gratias agentes, commemoranteſque obſidione ſe eſſe ab eo liberatos, pleroſque etiam, cùm apud hoſtes eſſent, ſervitute exemptos. Adſignato triumpho, Gn. Cornelius multa ſigna militaria tulit, multa Gallica ſpolia captivis carpentis tranſvexit. Cæterum magis in ſe convertit oculos Cremonenſium, Placentinorumque Colonorum turba pileatorum currum ſequentium. Item Terentium, quem inter cæteros captivos ſecundo Punico bello Scipio Africanus vinculis exolverat, memo-

1 *Liv. lib.* XXXIII. *c.*23.

riæ tradidere Majores, in ſignum receptæ libertatis pileo teſtante in triumpho Ducis eſſe conſpectum: Ita Valerius Maximus [1]: *Q. Terentius Culeo Prætoria familia natus, & inter paucos Senatorii ordinis ſplendidus, optimo exemplo, Africani Scipionis currum triumphantis, quia captus a Carthaginenſibus, ab eo fuerat recuperatus, Pileum capite gerens ſecutus eſt. Auctori enim libertatis ſuæ tamquam patrono accepti beneficii confeſſionem, ſpectante Populo Romano meritò reddidit* [2]. Confidenter Paulus Oroſius [3] hunc Terentium Comicum fuiſſe pronunciat.

A Militia procedamus ad Civium lætitiam propter extinctum in Urbe Tyrannum. Nam, ut Cicero ait [4], aliæ Nationes ſervitutem pati poſſunt, Populi Romani eſt propria Libertas. Xiphilinus [5] extincto Nerone in via Nomentana Romanorum lætitiam narrat; ſed audiamus Suetonium [6]: *Tantunque*, dicit, *gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota Urbe diſcurreret*. Bythiniæ Rex Pruſias, cujus Romam adventum Appianus deſcribit, Livius his ver-

1 *Lib.5. c.2. §.5. Quintil. Declam.*
2 *Vide & Liv. lib.30. c.43. & Plutarch. lib. 2. Apophthegmat.*
3 *Lib.4. c.19. & Paul. Diacon. lib.4. c.21. Hiſt. Miſcell.*
4 *Philip. 6. orat.49.*
5 *Excerpt. Dion. n.5. in Neron.*
6 *Lib.6. c.57.*

Digitized by Google

verbis recenſet [1]: *Polybius eum Regem*, Pruſiam, *indignum majeſtate nominis tanti, tradit; Pileatum, capite raſo, obviam ire Legatis ſolitum, Libertumque ſe Populi Romani ferre, ideoque inſignia ordinis ejus gerere*. Fuit autem, ut opinor, Pruſias hic noſter pileatus Nicomedis pater, Pruſiæ filius, & Zelæ Nepos.

Hic reticendum minime duxi quod Petronius Arbiter [2] de Apro pileato refert, cùm manumiſſionem inter epulas graphice deſcribit, ejuſque formulam: *Hic Aper*, inquit, *cùm ſummam cœnam vindicaſſet, a convivis dimiſſus; itaque hodie tamquam libertus in convivium revertitur. Damnavi ego ſtuporem meum, & nihil amplius interrogavi, ne viderer numquam inter homines cœnaſſe. Dum hæc loquimur, Puer ſpecioſus vitibus, hederiſque redimitus modo Bromium, interdum Lyæum, Euthyumque confeſſus, calatino uvas circumtulit, & Poemata Domini ſui acutiſſima voce traduxit: ad quem ſonum converſus Trimalchio: Dionyſe, inquit, liber eſto. Puer detraxit pileum Apro, capitique ſuo, more manumiſſorum, impoſuit.*

1 *Hiſt. lib.* 44. *c.* 45.
2 *Tom.* 1. *p.* 12. *Satyric.*

CAPUT XII.

De Pileo Libertinorum ſequioris ævi.

CUM innumeri eſſent in Romano Imperio Servi, ideo Libertinorum immodicus eſſe debebat pileorum uſus. Unde pileorum confictores *Pilifici* appellati fuere, atque a Polluce πιλοποῖοι [1]. Plato in Timæo pileorum materiam vocat *coactilem lanam*. Immo Cratinus inquit [2]: *Albos ſub pedibus pileos habent*, ſtatuitque Plato [3] ad pileos efficiendos Agnorum pilos. Sed de hac re præcipue conſulendus Maximus Tyrius rerum antiquarum experientiſſimus, qui in Platonis Republica ſatis probat, non licuiſſe ne quidem primoribus Athenarum Civibus cooperto incedere capite, vel pedibus, rationemque etiam profert ſatis ſingularem ex ipſa natura deductam: Ne videretur eidem injuriam afferre, cùm ab ipſa ſatis proviſum appareat in illis efformandis, conſervandiſque.

Forſan hæc ratio, vel potius mos effecit, quod cùm Romanorum unus alium offenderet, diſcooperto capite ad invicem ſalutem dicerent.

In

1 *Lib. 3. c. 32. p. 172.*
2 *In Mollicul.*
3 *In Sympoſ.*

In agro, vel in itinere *tegillum* [1] villoſum ſuper humeros gerebant, quem capiti ſuperimponebant, ut videre licet in Anaglypho antiquo in Barberinis Aedibus, ad pluviam, ſolemque arcendum. Hallucinatur Tiraquellus in ſuo tractatu de Nobilitate, dum Dionis locum interpretatur, in quo autumat, Caligulam Imperatorem conceſſiſſe Romano Senatui facultatem Umbellarum gerendarum in Theatro, ac ſpectaculis ad arcendos Solis radios: καὶ πίλους σφίσι τὸν θεσσαλικὸν τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, ἵνα μὴ τῷ ἡλίῳ ταλαιπωρῶνται ἐπέτρεψε: *Pileorum Theſſalicorum uſus ſenatoribus conceſſum in Theatro ad arcendos ſolis calores*; ſed Tiraquellus *Birrum*, Pileumque pro Umbella ſumpſit [2]. Suetonius [3] aliquando Pileum, & Umbellam, Petaſumque promiſcue adhibuit; & Martialis:

Accipe, qui nimios vincant umbracula ſoles;
Sit licet & ventus, te tua tela tegunt.

& alibi:

In Pompejano tectus ſpectabo Theatro,
Nam ventis populo vela negare ſolet.

Suetonius itidem loquens de aliquibus valetu-

1 *Plaut. in Rudent.*
2 *Vid. Paciand. Diſſert. de Umbell.*
3 *Lib. 2. c. 82.*

letudine infirma, *Quibus*, ait, *pileum non erat, incedebant palliolati*. Ex his certum eſt, veteres ad ſalutem tuendam, vel ad rem turpem tegendam, aut minus gratam evertendam pallio caput obtegiſſe, quod effeciſſe compertum eſt Cæſarem, dum in Pompejana Curia Idibus Mart. a conjuratis Civibus confoderetur; & de Trimalcione Petronius ait, quod adraſum pallio concluſerat caput.

Luxu adaucto inter Romanos, qui & commoda mollis vitæ exquirebant, uſus barbaricos adoptarunt; hinc caput vel ficta coma, quandoque cincinnata, vel Thiara coopertum habebant, præcipue poſtquam Imperium ad novam Romam Conſtantinopolim fuit tranſlatum. Ex his velaminibus unum appellatum fuit *Bardaciota*, & ἀγγουρᾶτον, qui figuram cucumeri oſtendebat [1], nomen vero ſumpſerunt pilei iſti a flumine *Bardacio*. Hoc integumento induti incedebant aliqui Imperialis Aulæ milites, dicti *ſtationarii*, qui portam Domus Regiæ virgis, baculiſque cuſtodiebant, arcebantque præeuntes equitantem Imperatorem, ne populus iter impediret. Juſtinianus Imperator [2] primus inter Romanos Principes inceſſit cooperto capite

1 *Vid. Steph. de Urbib.*
2 *De Offic. Aul. Coſtantinop.*

pite cum thiara pileiformi, inde tale pileum, ſeu integumentum Imperiale appellatur ἰουστινιανὸν: immo etiam nobiles mulieres ſimili uſæ ſunt operimento, vel parum diſſimili, cùm potius timpano adſimilari videretur, hinc hi pilei dicebantur τυμπανία [1]. In numiſmatibus Imperatorum ſequioris ævi diademata, ſeu coronæ capiti eorum impoſitæ tam viris, quàm mulieribus, ſimiles ſunt thiaræ Parthicæ, vel Armeniacæ, Perſicæque, ad acuminati pilei formam. Ex hoc inde tempore pileorum uſus ad Libertatem indicandam fuit intermiſſus; tantummodo in nummis recentioribus uſus permanſit ad eandem innuendam, ut videre eſt in quamplurimis numiſmatibus a Batavis poſt recuperatam Libertatem percuſſis, Anglicis, Gallicisque, præcipue Henrici III. ſed præ cæteris fulget quod fuit poſt cædem Alexandri Medicei Ducis Florentini a conjuratis percuſſum ad ſimilitudinem illius, quod cernitur in Familia Junia, & Caſſia, & aliud Cimbri, quamvis ſuſpectæ fidei, in quo dies adnotata, in qua Reipublicæ vindices Libertatis oppreſſorem confoderunt.

1 *Niceph. in Alex. Commen. lib. 1. vid. Paciaud. Diſs. de Umbell.*

F I N I S.




Digitized by Google

Digitized by Google


ROMA
EID·MAR
CINBR VS
LIMETAN
C·MAMIL
L·ROSCI
CAEPIO·BRVTVS·PRO·COS
LIBERTAS
MENSOR
S·C·



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google